



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De obiectionibus hæreticis contra hoc, & responsionibus catholicis. C. D.  
E. F

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

*Aug. ca. 14.  
lib. 3. contra  
Maximū.  
post mediū.*

Solus Spiritus S. Nec hi tres plus possunt, quam singulus eorum quia omnipotētiā quam habet pater, & filius, accepit nascendo, & Spiritus S. procedendo, quod August. rationibus & auctoritatibus probabiliter astruit in lib. contra Maximū, qui dicebat patrem meliorem ac potētiorem filio.

*Ibid. cap. 14.  
inferius.*

*Quod non potest minus filius quam pater.* B  
NIHIL, inquit, patre min⁹ habet ille qui dicit. Omnia quæ habet pater, mea sunt Nam si minus habet in potestate aliquid quam pater, non sunt eius omnia quæ habet pater. Sed eius sunt omnia, quæ habet pater: tantam ergo habet potestatem filius, quantam pater. æqualis est ergo patri. Non enim potest qui accepit, inæqualis esse ei qui dedit. Tu autem hoc de potentia sapis, quod potens fit filius, sed potentior pater: ut secundum doctrinam vestram potens potētem potuerit generare vel gignere, & non omnipotens omnipotentem. Habet ergo pater omnipotentiam quam non habet filius: & si hoc est, falsum est quod ait filius, Omnia quæ habet pater, mea sunt.

*Ibid. paulo  
superius.  
Ibid. cap. 12.  
in princip.*

*Hoc verum fatebatur hereticus, ex quo progrediebatur ad falsa.* C

*Aug. ibid.  
fere conti-  
nuo cap. 12.*

SED, inquis, pater à nemine potentiam accepit, filius autem à patre. Fatemur & nos filium accepisse potentiam ab illo de quo natus est potens: patri verò potentiam nullus dedit, quia nullus eum genuit. Gignendo enim dedit pater potentiam filio, sicut omnia quæ habet in substantia sua gignendo, dedit ei quem genuit de substantia.

*Ibid. conse-  
quenter*

*Questio Augustini, qua arctat hereticum.* D  
SED queritur, utrum ei tantam quanta ipsi est, potētiā pater filio dederit, an minorem. Si tantam, nō solū potēte, sed etiā omnipotēte genuisse omnipotēs intelligitur: si vero minore, quomodo omnia, quæ habet pater, filii sunt? Si patris om-  
nipo-

in potentia, filii non est, non omnia procul dubio  
quæ habet pater, filii sunt. At omnia quæ habet  
pater, filii sunt: omnipotentia ergo patris etiam  
est filii, non est ergo pater potentior filio.

*Aliter probat filium æqualem patri.*

E *Aug. ca. 18.  
medium.*

ITEM alio modo probat filium æqualem patri  
contra Maximi. ita dicens: Tu dicis quod pater  
genuit filium minorem seipso; in quo & patri de-  
rogas: qui si filium unicum minorem genuit, aut non  
potuit, aut non voluit gignere æqualem. Si dicis  
quia non voluit, eum invidum esse dixisti: si autem  
non potuit, ubi est omnipotentia Dei patris. Pro-  
fus ad hunc articulum res colligitur, ut Deus pater æ-  
qualem sibi gignere filium, aut non potuerit, aut  
noluerit. Si non potuit, infirmus: si noluit, invidus  
inuenitur. Sed utrunque hoc falsum est: patri ergo  
filius verus æqualis est. Genuit ergo pater sibi æ-  
qualem filium, & ab utroque procedit utriusque æ-  
qualis Spir. S. Si enim formam suam (ut ait Aug.  
contra eundem) pater in unico filio plenam gignere  
potuit, nec tamen plenam genuit, sed mino-  
rem, cogimur patrem invidum dicere. Plenum  
ergo Deum & æqualem sibi genuit, filium.

*Aug. ca. 7.  
eiusdem lib.  
3. contra  
Maximinum.  
Lib. 3. ca. 15.  
in princip.*

*Per simile ostendit, quod non minorem pater fi-  
lium genuit.*

F

HOC autem per similitudinem humanam ita  
esse demonstrat, inquiens: Homo pater si potuis-  
set, æqualem filium genuisset. Quis ergo audeat  
dicere quod hoc omnipotens non potuit? Adde et-  
iam, si posset homo, maiorem melioremque seipso gignere  
filiū. Sed maius vel melius Deo quicquam esse  
non potest. Deus ergo cur non æqualem (ut ais) filium  
genuit: cui nec anni necessarii fuerunt, per quos ad-  
impleretur æqualitas, nec omnipotentia defuit? An  
fortè noluit: ergo (quod absit) invidit. Sed non invidit:  
æqualem ergo genuit filium: Credamus ergo fi-  
lium ei esse æqualem.

*Lib. 3. ca. 11.  
in medio.*

*Aug. c. 15.  
lib. eiusd. 3.  
contra Ma-  
ximum  
ad fixem  
tom. 6.*

*Opinio-*